SALVADOR RODRIGUEZ
ENCUADERNADOR
San Juan de Dios
GRANADA

Reg.: 30.766

BIBL... VERSITARIA
...ANADA...
Sala Caja
Esta. A
Núm. 42

Vertitur indubium, vtrum bona Episcopi Titularis ex Regularibus assumpti, subiaceant spolio ecclesiastico, an vero Episcopus possit de illis testari, necne.

Spolium ecclesiasticum, secundum Filiucium, trad. 43. c. 1. n. 1. non tam definitur, quam describitur sic: Quidquid in bonis ecclesiasticæ personæ post mortem ipsius, nec ex testamento pertinet, nec ab intestato. Consonant Guillielmus Redoanus in eleganti trac. de bonis post mortem relictis, vulgo spolia nuncupatis, Martinus ab Azpilqueta Nauar. comment. de spolijs cleric. §. 1. super cap. non liceat Papæ 12. q. 2. Ioan. Azor. in qq. de spolijs cleric. c. 1. Hyeron. Maynatius in sua erudita consult.^e de spol.

Ex parte personarum ad quas aliter, quam iure hereditario pertinent bona, poterant diuidi in spolium R. C. Apost. in spolium ecclesiæ cui præest Episcopus et spolium Monasterij, a quo Episcopus Regularis fuerat assumptus. Nunc solum loquimur de primo, alijs iam per Pontificias constitutiones abolitis, et sic Pius V. in const. de qua Nauar. de spol. et post illum Azor. p. 2. lib. 8. c. 3. q. 6. negat esse spolia, vasa sacra, paramenta, et alia vtensilia, quia etsi Ecclesiæ cui Episcopus præerat deberentur, vt iure cautum est non tamen in eis succedit Apostolicus Fiscus.

Prælibandum est in ipso limine, in Episcopo Titulari Regulari, vt possit de suis bonis sine Sedis Ap.^{cæ} priuilegio testari duplex concurrere impedimentum communite a DD. præcnotatum; alterum personæ videlicet religioni addictæ; alterum naturæ, et qualitatis bonorum de quibus vult testari. Vnde monet Nau. de spol. §. 6. n. 3. quod dum Iulius III. in extrauag. dat. ann. 1549. impertitur decedentibus in Curia facultatem, vt libere, et licite valeant disponere de redditibus Beneficiorum ecclesiasticorum, cum cura, et sine cura secularium et quorumvis ordinum Regularium &c.^a Non ideo Regularis adhuc in curia moriens, poterit testari, quia sublato vno impedimento non tollitur aliud. cap. estuarum de auth. et vsu palij, l. si domus ff. de seruit. vrb. præd. quia per

talem

Talem extrauag. solum tollitur impedimentum quod ex natura redditum nascitur, non autem aliud, quod inest Religioni: Et sic alia extrauag. Pauli IV. expresse restringit hoc priuilegium testandi ad Clericos saeculares decedentes in Curia.

Sic etiam Aug. Barb. de off.o et potest. Episcopi alleg. 114. n. 24. ait quod Religiosus Episcopus obtinens a Pontifice licentiam testandi etiam ad opera pia, duplex impedimentum tenetur explicare, vt dispensatio legitima sit, alterum se esse Religiosum, alterum se esse Episcopum quod duplici hoc impedimentum ad testandum affectus sit.

Et sic Regularem in Episcopum promotum, de nullis bonis testari posse, sed bona eius qualia cunque sint, etiam ex redditibus seu fructibus non prouenientia, spolio subiacere; tenent citat. Barb. n. 20 alleg. 140. ad fidem Azor. lib. 12. cp. 10 q. 6. Nau. coment. 4. de reg. n. 6. Fr. Emanuel. to. 2. q. 58. art. 6. et to. 3. q. 69. art. 4. Bellet. disquis. cleric. p. 1. tt. de bonis cleric. § 8. Noguerol in erudita allegat. 26. per totam Solorzano de Iure indiar. lib. 4. cp. 11. Card. de Lug. in respons. moral. lib. 5. dub. 1. et alij innumeri quos refert et sequitur Th. Sanchez lib. 6. in decal. cp. 6.

Suffragantur praeter dictos eidem sententiae quot quot asserunt Religiosum creatum Episcopum non eximi a paupertatis voto, nec effici verum dominum redditium ecclesiasticorum, quia vota ab eo emissa in religione non laxantur, nec limitantur nisi quatenus illorum obseruantia obstat executioni muneris Episcopalis, abdicatio autem omnis dominij non obstat Episcopali muneri, dummodo ei superstit libera bonorum omnium administratio, vt in quoslibet decentes vsus expondeat concedatur. Dum quia vt communiter circumfertur Episcopus, praecipue Regularis in vita comparatur vsufructuario, in morte vero aequiparatur vsuario quorum neuter dominium exposcit. Deinde quia Episcopus ut ait S. Th. 2. 2. q. 158. et q. 88. art. 11. ad 4. potius debet ascendere, quam descendere, altius qui in dies perfectionis scandere fastigium; si autem a Monacho in Episcopum, et in redditum dominium exulante paupertate, eiusque in confracto vinculo, transiret potius descenderet quam ascenderet, et ex Magistro fieret discipulus. Sic tenent praeter citatum S. Th. Couar. Valent. Pacian. Henriq. Grafis, vterq. Molina. Suar. Sapia, Lesius. Ledesma, et alij longa serie relati amnioribus praecipue a Th. Sanch. in decal. lib. 6. c. 6.

Videntur idquasi indubitatum stabilire Sacrae Rom. Pontif. constitutiones extrauag. Paul. 3. ann. 1541. Breue Pij 4. ann. 1560 Bulla. eiusdem Pij 4. eod. ann. item extrauag. Pij 5. ann. 1565 quarum

fragm

Argumenta adducit et cogendi citat, Nauar. Rodoan. Azor. Hyeronimus Maynatai Filiucius, et alij.

His tamen non obstantibus, salua semper meliori DD. censura existimo Episcopum Titularem, adhuc Regularem, posse absque priuilegio Sedis Apostolicae, siue incuria, siue extra curiam de [illegible] testari, nec posse Apostolicum Fiscum eius bona Camera tanquam spolia vindicare. Huius sententiae sicut Nifilis, Omina, Villalob. et Machad. supra citandi, D. Fr. Acacius March. Velasco, Pellizarius, Hostien. Ild. St. Gratian. et Rodrig. eamque reputat probabilem Thomas Sanchez lib. 6. in decal. n. 10. c. 6.

Et vt maiori clarit ate procedam, sic discurro si Episcopo Titulari Regulari testandi esset interdicta facultas, aliquo ve ad id impedimento laboraret, maxime id contingeret, vel quia esset Episcopus, vel quia esset Regularis: at neutrum ex his duobus capitibus obstat, dum sit Titularis: ergo potest de bonis tempore mortis manentibus testari. maior est indubita. minor vero probatur.

Et imprimis, quod Episcopatus non obsit Episcopo Titulari, si Regularis non sit, quominus possit testari, id expresse fatetur Solorzano de Iure Ind. lib. 4. c. 11. Ricciul. lib. 2. Lucubrat. c. 20 et alijs statim adducendi. Et ratio videtur perspicua, quia ut communi DD. stabilitur consensu, Episcopus Secularis potest testari de bonis patrimonialibus seu quasi patrimonialibus, vt tenent Marta de iurisd. par. 4. casu 24. n. 3. Card. in praxi iudiciali, verbo Episcopus. n. 55. Barbosa dicta allegatione 114. n. 10 idem que alt. Nauar. to. 5. de spolijs cleric. §1. n. 3 in sumario per haec verba: Bona patrimonialia vel quaesita ex eis, vel per industriam non dicuntur spolia. Gilhelm. Rodoan. etiam de spolijs c. 3. n. 11. sic habet: Ex hoc etiam aliqui inferunt, quod Episcopi possunt testari de illis quae acquirunt ab his qui sacris ordinibus iniciantur. Et n. 12. Vnde textus (ait Rodoanus) ita est intelligendus vt idem dicatur de rebus quas Episcopus propria industria acquisiuit, quod dicitur de rebus, quae manifeste ei iure sanguinis obuenerunt.

Set sic est quod talia sunt bona quibus gaudent Episcopi Titulares: ergo poterunt de illis testari, si Regulares non sint. minor patet. Quia et sunt bona patrimonialia quae labore et industria acquirunt, non intuitu Ecclesiae, nec Episcopatus, sed in stipendium laboris: Sed talia qualitatis sunt bona Episcoporum Regularium: nempe quae accipiunt, vel ab his, qui ad ordines promouentur, vel ab illis, qui Sacramento Chrismatis liniuntur, in quibus omnibus personalis industria, et labor Episcopi conspicitur, vt sit mercenarius dignus mercede sua. Et non indulgentia ex bonis tributi, vt ait scripturae: ergo sunt quasi patrimonialia, et sic nequit

ea

ea ab Episcopo decedente Aps. Fiscus inuadere, et vindicare.

Unde Couar. c. 1. n. 1. et cum eo Ths. Sanchez lib. 2. consil. c. 2. dub. 45. n. 8. cum alijs ait, Bona quæ Episcopus accipit ab his qui ordinibus initiantur sunt ex industria acquisita, et ideo probabilius esse posse de illis, sicut [illegible] patrimonialib. disponere quia propter personalem laborem a fidelib. dantur. Idem tenet Barbosa quem citat et sequitur Naezanus opusc. de redd. c. 1. n. 18. 25. Stridi iterum eundem, Thm. Sanch. dub. 51. n. 4. Probabilius est, posse Episcopos de talib. bonis adquisitis vsus testari, quia talia bona propria industria et labore acquiruntur, et sic sunt illorum absoluti domini, nec aliquo iure prohibentur de iis testari. Ex eo enim a canonib. talia bona Ecclesiæ adjudicantur, quia præsumitur ex bonis Ecclesiæ acquisita fuisse, vt tenet Turrecrem. Couar. Siluester, Angelus, Panorm. et alij huicusq. Th. Sanch.

Sic in facti contingentia, in Ciuitate Valentina, cum in obitu Rmi. D. D. Hyacinti Minuarte, Episcopi Alozonem, secularis ann. 1659. cum ex parte illorum ad quos spoliorum bono ex conductione pertinebant tentatum fuerit præfati Episcopi auxiliaris bona imbadere, re melius perpensa, notissimam timentes repulsam, non expectata sententia, a suscepta Prouincia destiterunt, quasi exploratum et pro comperto habentes nullum dominium in Fisco Apco. vel in eius iura habente acquiri posse in bonis Episcopi Titularis, si Regularis non sit, quia iura solum loquuntur de redditib. et fructib., quæ in Titularib. nulli sunt.

Venio iam ad secundum et potissimum impedimentum, in quo totius huius difficultatis cardo vertitur vtrum scilicet Episcopo Titulari saltem quatenus Regulari interdicta sit testandi facultas. In hac parte videmur aduerso iure, quasi aduerso Marte dimicare. Nam passim Theologi et Iuris consulti clamant, Religiosos creatos Episcopos, non solum in bonis quæ ante promotionem habebant, quorum consueto describunt inuentarium, sed etiam in bonis tempore Episcopatus, non sibi sed Monasterio olim acquisiuisse, cp. cum olim. 3. c. non dicatis. 12. q. 1. Postea in Monasterij iura Ecclesiam cui præest, vel successorem in Prælatura succesisse. Minime vero potest constitutiones citatas Pauli 3. Pij 4. et Pij 5. clarissime ad Cameram Apsam. ea bona spectare. Etenim ante Paulum 3. non constat quod Sedes Apca. per aliquam constitutionem editam clare reseruauerit sibi et suæ Cameræ spolia, vt colligit Nauar. ex illis vbis. extrauag. Ex eo quod constitutione forsam non caueatur. Religiosi etenim quia tales semper manent inhabiles ad dominium, siue id proueniat ex paupertatis voto, quo se habent partim vt serui, partim vt filij, vt ait Lessius c. 41. dub. 8. n. 71. siue proueniat inhabilitas

litas ex iure positiuo, vt verius sensit Card. Lugo de Iust. disp. 3. sec. 4. n. 18. Et ideo idem Lugo in responsis moralib. lib. 5. dub. 1. loquens de donatione facta ab Episcopo Regulari ægrotante in fauorem sui nepotis, ait. Dispositio post mortem interdicta omnib. Regularib. etiam si sint Episcopi vt cum communi sententia tenuit Rota in recent. posth. apud Farin. to. 2. dis. 548. n. 2.

Tum quia Religiosus non habet velle, nec nolle. 12. q. 1. c. non dicatis. Item defectu bonorum, non cum ipsi nihil possideant, sed possidentur, nihil habent tam in habitu quam in actu, c. ad Monast. de statu Monach. vt notauit Rodoanus q. 1. n. 11. Et sic Religiosos factos Episcopos, semper manere inhabiles ad dominium, et consequenter ad testamentum, tenent 42 Doctores, quos citat et sequitur Th. Sanc. in sum. to. 2. lib. 6. n. 8. quib. Diana. 3. p. trac. 2. resol. 50. addit Tanner, Sanctarell, Cenedo. Barb. et Barthol. t. 1. Tausto.

Sed tamen in hac parte contraria sententia asserens Religiosos factos Episcopos, effici etiam veros redditum, et bonorum dominos, est etiam probabilis, quam tuentur Sotus de Iust. lib. 1. q. 4 art. 2. ad vlt. Vazq. in 1. 2. q. 96. art. 4. dis. 165. c. 8. n. 91. in fine, et 104. Pelaius, Medina, Angles, et alij quos citat, et sequitur Diana. dicta resol. 50.

Hac sententia probabili de dominio Regularium dum sunt Episcopi, quam nunc exagito, sed vt notam suppono, perg. ad testamentum, et vt dixi arbitror esse probabile posse Regularem creatum Episcopum Titularem condere testamentum eamq. defendere authores si[...] ante citatos. Adducam eorum vba, vt pateat qua fide inretam dificile ante citentur.

P. Thm. Sanc. ait hanc oppinionem esse probabilem, quamuis ipse oppositam docuerit; Audi eius vba, lib. 6. in decal. c. 6. n. 10. An integrum sit Episcopos Religiosos testari de bonis patrimonialib. aut propria industria acquisitis, eo modo quo id fas est Episcopis sæcularibus; Quidam affirmant, Hostiens. Michael. Med. Sa. Gratian. Emanuel Rodriq. et est probabile. Quid clarius, ergo probabile est Episcopum Regularem Titularem, cuius bona vt probaui, sunt quasi patrimonialia posse testari, nec nec ipsi spolium imminere.

Diana in citata resol. 50 pro coronide hæc ad rem præsentem addit aurea vba: Ex is patet potuisse libere supra dictos Episcopos, (loquutus fuerat expresse de solis Regularibus) testari de bonis patrimonialibus ex industria acquisitis. Ibidemq. citat P. Villalob. to. 1. trac. 35. dub. 40. n. 6.

Sed audiamus ipsum Villalob. sunt enim egregia eius vba: titulus enim dubij talis erat: Del Obispo, que era Religioso. Et n. 6. ait:

Ait: Es probable sentencia que puede hazer testamento, de lo que adquirio, o heredo, lo qual confiessan algunos de la oppinion contraria. Et n. 11. sic habet: La segunda oppinion dize que le puede hazer (lo qual [illegible] de testamento) y esta oppinion an de tener los que tubieren que queda absuelto de los Votos. Perme hæc vltima verba.

Ex illis enim sic discurro. Eodem gradiuntur passu vt egregie notat Villalob. et ratio ipsa suadet, Religiosi dum promouentur effici dominos bonorum, ac posse de illis testari; sed sic est quod est oppinio valde probabilis veros effici dominos bonorum, atque paupertatis voto manere absolutos vt præter supra citatos authores tenent Petrus Hurtado de Mendoza, et Michael de Palacio insignis Salmanticensis Theologus, adducti a Diana. 5. p. trac. 7. resol. 64. Imo idem Thom. Sanchez, qui contrariæ sententiæ mordicus adhæret, hanc fatetur probabilem: ergo, quemadmodum est probabilis in Regularibus sententia de dominio, esse etiam sententia de testamento. Mayor propositio patet, quia si aliquod inter hæc duo, scilicet esse dominum, et posse testari, posset in esse discrimen esse prohibitio aliqua canonica, vt advertit Barbosa n. 5. at prohibitio canonica nulla est de bonis patrimonialibus seu quasi, sed tantum ex bonis exreditibus, seu fructibus Ecclesiæ, quibus omnino carent Titulares; vt patet ex prædictæ constitutiones supra citatas Pauli, et Pij, et textum in cp. præsenti, et in cp. quasepe, et in cp. Episcopus 12. c. 1. et sepe alibi.

Fulcitur assertio nostra eleganti decisione textus cp. statutum 81. c. 1. Statutum est, et rationabiliter secundum SS. Patres a Synodo confirmatum, vt Monachus quem canonica electio a iugo regulæ monasticæ professionis absoluit, et sacra ordinatio de Monacho Episcopum facit, veluti legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea iure vendicandi potestatem habeat. Vbi valde pensanda sunt, vt ait Villalobos, verba illa, absoluit, ergo non sopita, sed extincta sunt illa vota. Item preme lij: legitimus hæres. Expende illud: sibi vindicare. Vindicare enim est sibi acquirere, solis veris, et absolutis dominis competit. l. in rem ff. de rei vindic. Pondet etiam illud: de Monacho Episcopum facit. Fauet assertioni nostræ, quod ex Machado. to. 2. asserit. D. F. Acatius March. de Velasco nunc Episcopus Oxcellensis. tom. 2. resolu. 204.

Videlicet,

Videlicet quod omnia, quæ dixerat de Episcopo Seculari, pariter intelligenda veniunt de Episcopis Religiosis sine ulla prorsus differentia. Dixerat autem paulo ante Episcopum de bonis sua industria acquisitis, non intuitu dignitatis, posse testari, ex Solorzano to. 2. de Iur. ind. lib. 3. cp. 10. Animosius loquitur pro nostra sententia doctissimus P. Franciscus Pellizarius, Societatis Iesu in suo manuali Regularium to. 1. trac. 4. cp. 2. n. 362. Ex quibus constat (ait Pellizarius) Episcopos Regulares posse testari de bonis patrimonialibus, aut propria industria comparatis, non secus ac possunt Episcopi Seculares. Idque etiam si dicatur (nota vigilantes) eos non eximi a voto paupertatis.

Ex quibus omnibus

PA

DE

PAPELES
de
DERECHO

Caja
A-42